

Letter 315: [December 1526, Strasbourg], Capito to Peter Butz

The manuscript of this letter is in Strasbourg AST 176, p. 1061 (formerly f. 511r).

Observande domine. Zuinglius ad me scripsit de puella hac promovenda, quo possit assequi testificationem, sub fide publica, de hospite veteris palatii, Zur Alten Pfalz. Officeret autem causae, si quid per spirituales iudicem fieret, praesertim in hac urbe, quum existimant institutum Christo. Deinde et huius me puderet apud sanctam illam ecclesiam, nam, si sigillo vestro res non confirmaretur facile illi intelligerent nos initium forte fecisse Christianismo, sed necdum latius introgressus, qui Satanae primam artem, in domesticam pietatem, intactam relinquimus. Quo pacto Tigurini in adulteros animadvertant, post prandium aut forte citius mittam. Item quemadmodum actum est cum pensionariis Tiguri. Interim hunc libellum perspice, quo nobis Oecolampadius Fabrum depinxit, sed modestissime, ut solet omnia. Vale. Capito vester.